

bitrii, & occasiones prædicationis, lectionis, &c. ut ibidem prius expresserat.

47. XII. Ad perseverantiam sufficit gratia habitualis, & auxilium sufficiens.

Molina q. 23. art. 4. disp. 1. membro ultimo, pag. 857. col. 1. littera F. docens, quod cum auxilio, quocum unus non perseverat, (atque adeo sufficiens) alter perseveret.

48. XIII. Actus illi naturales supra recensiti dicunt ordinem ad justificationem.

Molina docens, facienti illos actus dari gratiam ex lege infallibili, eisdemque actus afferens esse dispositiones remotas ad justificationem 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 11. §. *Illud addendum*, versu, Quin sicut pag. 354. col. 2. lit. D. & ratione illorum conatum naturalium, salutem esse positam in manibus nostris, ut visum est in 8. propof.

49. XIV. Conantibus, ex viribus naturæ Deus dat gratiam, non tamen quasi ex merito (&) propter conatus naturales, non tamen tanquam merita, sed tanquam propter occasiones, Deus dat gratiam.

Molina disp. 10. in principio pag. 766. col. 2. littera C. dicens: *Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, prestare est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa dolorem de peccatis, ac justificationem, a Deo conferri gratiam præventionem, auxiliarem, quibus id faciat, ut oportet ad salutem: non quidem, quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullarum ratione ea promoveatur, sed quoniam id obrinuit nobis Christus ob sua merita, & inter leges, &c. 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 11. §. *Illud addendum*, versu, Quin sicut pag. 354. col. 2. littera D. propter eleemosynas, & alia opera moraliter bona, (quæ fieri posse, docet, viribus naturæ, ut sup. ostensum est) facta ab existente in peccato lethali, consuevit Deus opitulari citius, ac magis uni, quam alteri, ut a peccato resurgat; eaque ratione hujusmodi opera non immerito appellari consueverunt dispositiones remotæ ad gratiam.*

50. XV. Prædestinatio omnium non est gratuita.

Hanc, intellectam de prædestinatione ad gloriam, nemo dubitat, esse Molinæ, loco ultimo citato §. *Ostendit conclusio*, pag. 349. col. 2. littera D. E. F. & §. *Septima conclusio*, ubi illam docet, sicut & Lessius, Vasques, & alii.

De prædestinatione ad gratiam docet Molina, loco, in præcedenti propositione citato, dicens: *Quæ auxilia, & dona conferi Deus in tempore, propter aliquem bonum usum liberi arbitrii antecedentem: eadem ex æternitate conferre statuit propter eundem bonum usum, prævisum futurum ex hypotesei, quod hunc, vel illum ordinem verum condere vellet.*

51. XVI. Liberum arbitrium, & gratia sunt duæ causæ partiales boni operis.

Molina q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 6. §. *Ad 1. hævum*, versu, Porro. Pag. 326. col. 2. littera E. *Supernaturales nostre actiones a Deo, supernaturaliter influente, & a nobis, tanquam a duabus partibus unius integre causæ, emanant.*

52. XVII. Deus se inserit conatibus nostris.

Molina disp. 43. §. *Quod si quis*. Pag. 848. col. 1. littera C. *Quod si quis, intellectu per lucem fidei illustrato, cogit, se propter lethalia peccata jus ad sempiternam felicitatem amisisse; ignem, & cruciatum sempiternum, extremamque miseriam promeruisse, naturaliter ex tali cogitatione insurgere solet in voluntate motus timoris*

Dei, qui adeo peccata detestatur, & acerbè puniunt. Hinc autem motus solet se inferere Deus, influxu supernaturali eum acuendo, ut plus stimulet, ac pungat, tribuendoque illi esse supernaturalis servilis timoris.

53. XVIII. Interna vocatio pendet a libero arbitrio. Molina sup. propositione 3. & 11.

54. XIX. Quamdiu sumus in via, salus est posita in manu arbitrii nostri, quatenus conantibus, ex viribus naturalibus, Deus dat gratiam. Molina supra relatus propositione 8.

55. XX. Deus leges ordinarias, in donis suis distribuendis, magna ex parte, usui liberi arbitrii accommodat. Molina disp. 9. §. *Quævis hæc*, Pag. 774. col. 2. lit. E. expressis terminis.

56. XXI. Deus exigit, ut homo faciat, quod in se est, priusquam donet fidem.

Molina supra relatus propositione 11.

57. XXII. Intellectus, proponens voluntati Deum amandum, ut qui pro nobis fudit sanguinem, ut præmiantem vitam æternam, &c. proponit, ut motivum naturale, ut vult.

Molina dispar. 14. membro 1. §. *Ratio vero*, Pag. 786. A. B. C. *Præexistente maxime lumine fidei, quo agnoscimus Deum Conditorem nostrum, innumeraque, & maxima beneficia tum naturæ, tum gratiæ, que in nos contulit, usque ad proprii sanguinis in cruce effusionem; quo cognoscimus, justis sempiternam felicitatem, impiis vero ignem sempiternum, extremamque miseriam esse propositam; lethale autem peccatum tam extremum esse malum, adeoque Divinam Majestatem offendere, ut vel unum sit satis, ut qui illud commiserit, nisi de eo doleat, stauatque, nihil tale deinceps committere, supremam amittat felicitatem, in extremamque incidat miseriam: procul dubio tam potens est hæc cogitatio, ut liberum arbitrium ejus, qui hæc sibi persuaserit, cum solo concursu generali Dei, elicere valeat; intuitu quidem extremorum, in que alias incidet, dolorem, seu detestationem suorum scelerum, cum proposito cavendi in posterum omnia peccata lethalia; in quo consistit attritio quoad substantiam actus: intuitu vero bonitatis, ac beneficiorum Dei, similem detestationem, ac propositum, in quibus posita est ratio contritionis, quoad substantiam actus sufficientis ad salutem, eo quod peculiari impulsu Spiritus Sancti excitata non sit, nec effecta.*

58. XXIII. Liberum arbitrium præponderare gratiæ in operatione supernaturali, collegerunt Consultores ex eo, quod Molina docet, liberum arbitrium reddere gratiam efficacem, & castam disp. 38. §. *Ex dictis*. Pag. 839. col. 2. lit. F., & alibi passim.

59. XXIV. Datur in Deo scientia media.

Affirmat Molina disp. 52. *Concordiæ Antverp.* quæ est disp. 17. q. 14. art. 13. §. *Triplicem*. Pag. 224. col. 2. B.

60. XXV. Bonus usus auxiliorum Divinæ gratiæ est a libero arbitrio.

Hanc docere Molinam, judicant Consultores ex eo, quod bonus usus nihil aliud esse videtur, quam ipsa efficacia auxiliorum. At vero Molina docet, efficaciam esse ex libero arbitrio; loco citato, propositione 23. & alibi. Aliæ propositiones, quas hic non retulimus, conveniunt cum istis, ut patet attendenti: & sic patet, in illa unica sententia, quam profertur reprehensores numero 25., ad minus 25. falsitates contineri: quare sit.

61. Num. 26. Dicunt, depravanda fuisse loca Aug., & Vigerii, ne faverent Valentia, pag. 313. 314. 315.

62. Num. 28. male transtulerunt verba Perronii, pag. 300.

63. Num. 29. negant, actum fuisse ter de scientia media. V. p. 319.

64. Num. 32. negant, auctores citatos Thesi 26. stare contra scientiam mediam. V. p. 323. 324. 325.

65. Num. 33. Ut falsitates convincant auctorem in citatione Romæi, & Soti, non afferunt loca, ab ipso allegata, sed alia, pagina 324. 325.

66. Ibidem, sumpserunt objectionem Romæi pro ejus sententia. Pag. 324.

67. Ibidem, dicunt, Romæum audivisse in Trid., quæ scriperat 8. an. ante Trid. p. 324.

68. 69. 70. Num. 34. tripliciter falsificant Sotum. Pag. 326.

71. Num. 35. Negant, Bellarmini Opera esse vitata. V. p. 330.

72. Num. 36. dicunt, mandatum Tridentinum, approbationem Pontificum, &c. nocere, pag. 282.

73. Ibidem, dicunt, Catechismum commendari ex falsis. p. 283.

74. Ibidem, negant, Concilium Mediolanense 1. suscepisse Catechismum. pag. 384.

75. Num. 37. negant, Jesuitas negare auctoritatem Catechismi. pag. 333.

76. Num. 40. negant, Clementem VIII., & Paulum V., ut privatos DD., stetit contra scientiam mediam, pag. 334.

77. Ibidem, negant, Consultores censuisse (1) sententiam Molinæ, pag. 335.

78. Ibidem negant, librum de ratione stud. habere vim Constitutionis, pag. ead.

79. Ibidem negant, Suar. admittere, præmotionem physicam fuisse de mente D. Thom. pag. ead.

80. Ibidem negant, Conimbricenses eandem tribuere D. Th. pag. 336.

81. Num. 41. dicunt, provisoriam sibi adjudicantam. V. pag. ead.

82. Ibidem citant Constitut. Clementis VIII., quæ nunquam extitit, pag. ead.

83. Ibidem citant Constitut. Pauli V., quæ nulla fuit, pag. ead.

84. Pro 84. falsitate reponere injurias &c. in auctorem, & invenies, falsitates duplo excessivæ num. positionum; quibus omnibus hac una sententia potuisset responderi: *Falsitatis, injuriis, dicitis, &c. propugnari, argumentum mendacii est.*

X X I.

EXCERPTUM,
Seu Priora Capita
Prolixi contra Molinam Operis,

Domni JACOBI LE BOSSU, in Regali, ac Celeberrimo Sancti Dionysii prope Parisios Monasterio Monachi, in Academia Parisiensis Doctoris Theologi, & in Romanis de Auxiliis gratiæ Congregationibus sub Clemente VIII. & Paulo V. Consultoris.

ANNOTATIO GALLICA (2)

Domni Sancia a Sancta Catharina, Fulienfis Monachi, Operi Præfixa.

MONSIEUR LE BOSSU, Religieux de l'Abbaye de S. Denis, & Docteur de Sorbonne, après avoir fait infinis biens en France avec la prédication, & autres exercices de piété, & charité, alla à Rome, durant que vivoit le Pape CLEMENT VIII., où il a demeuré environ trente-cinq ans, & jusqu'à son décès, qui fut il y a deux ans, & davantage.

Le Pape Clement le connoissant doctre, & homme de valeur, & de merite, le fit un des Consulteurs de la Congregation *De Auxiliis*.

Il a toujours tenu, & defendu l'opinion des Jacobins, touchant la grace contre les Jesuites. Mr. de Creil, Docteur de Sorbonne, & grand Docteur, qui entroit en la dite Congregation, la tenoit aussi.

Le Pape Clement decéde, Mr. Le Bossu voulut s'en retourner en France, & en son Abbaye; mais le Pape Paul V., qui l'avoit conau en la Congregation *de Auxiliis*, & l'avoit en grande estime, luy dit, qu'il vouloit, qu'il demeurât à Rome, & qu'il l'abolvoit de toutes les obligations, qu'il avoit de retourner à son Abbaye: & dès lors il luy donna quelques petites pensions sur aucuns Benefices, pour s'entretenir, & pouvoir de disposer à sa volonté du peu, qu'il avoit, alors que Dieu l'appelleroit de ce monde.

Il aimoit grandement le bien, & avoit un grand sentiment de la foy, & verité de l'Eglise...

Il entroit en aucunes Congregations de celles, qui sont en la Cour de Rome, & a eu long tems le gouvernement spirituel des Religieuses du Monaltere de S. Susanne de Rome.

Il étoit tenu de ceux, qui le pratiquoient, & connoissoient, pour un Saint personnage.

On le voioit quelquefois pleurer les Eglises, ou il alloit prier; tant il avoit le coeur tendre, & devot.

En l'âge de quatre-vingts ans, auquel il est decéde, il ject noit les Carêmes, & les autres jours, comme il les jectnoit en l'âge de trente ans. Peu d'années devant son trépas il visitoit les sept Eglises à pied, qui est un chemin de cinq lieues.

Serry Tom. II. V v II

(1) Desq forte: hanc fuisse. (2) Latine versa habetur §. Præfationis 7.

Il se levait toujours à minuit, pour dire son Breviaire. Il portait le cilice; il dormoit souvent vêtu, & s'abstenoit par fois, non seulement de l'usage de chair, mais aussi de l'usage des œufs, & faisoit plusieurs autres austerités en l'âge de quatre vingts ans, dont les regles, & la vie commune de son Abbaye le dispensoient.

Quelque tems avant que mourir, il entreprit à mon mouvement, & persuasion, de composer un livre de la Grace, lequel il n'acheva pas, prévenu de la mort: & parce que je l'avois prié de faire cet ouvrage, il m'en fit héritier, & de tous ses autres Ecrits; & me dit, qu'il avoit intention, en composant le dit ouvrage, de le dédier à la Maison de Sorbonne.

Il donna par Testament le peu de bien, qu'il avoit, aux pauvres.

Finalement il mourut saintement, le 7^e Juin 1626. sa mort correspondant à sa sainte vie, & fit une harangue en latin au S. Sacrement, quand on le luy donna pour viatique, avec tant de devotion, amour, foy, & sentiment de la verité de ce Sacrement, qu'il pleuroit en luy parlant, & faisoit pleurer ceux, qui y étoient presens.

Ceci est écrit par Dom Sans de Sainte Catherine, Religieux de la Congregation de Feuillans.

ANIMADVERSIONES

In viginti-quinque propositiones P. Ludovici Molinae, Societatis Jesu, de Concordia liberi arbitrii cum Gratiae donis.

Auctore R. P. Jacobo Le Bossu, Monacho Monasterii Sancti Dionysii prope Lutetiam, Ordinis Sancti Benedicti, Doctore Theologo Parisiensi, uno ex Consultoribus, a Clemente VIII. & Paulo V. deputatis in Controversia de Auxiliis Divinae gratiae inter Doctores Ordinis Sancti Dominici, & Societatis Jesu; qui obiit Romae die 7. Mensis Junii 1626. & morte praeventus, opus imperfectum reliquit.

INDEX CAPITUM,

QUI EST

CONSPECTUS OPERIS.

Ad primam Notam Animadversio.

Caput I. De discessione a Patrum sententia. Caput II. De pauca reverentia, quam exhibet Molina S. Augustino in hac doctrina.

Ad II. Notam Animadversio.

Caput I. idest, de scientia, Scholasticis incognita, a Semipelagianis inventa, & a Sancto Augustino refutata.

De II. membro cap. primi secundae Notae, nempe, quod Scientia-media sit inventa a Semipelagianis, & a Sancto Augustino explosa.

Caput secundum secundae Animadversio: Quod Scientia-media sit parum rationi consentanea.

Caput tertium secundae Animadversio, quo probatur, conditionales propositiones de futuro non cognosci a Deo, ut tales.

Ad III. Notam Animadversio.

Caput I. de Novitate Concordiae auxiliorum Dei cum libero arbitrio, a Molina inventae, & traditae.

Caput II. Animadversio ad 3. Notam: Quod Constitutio Concordiae, traditae a Molina, sit invalida.

Ad IV. Notam Animadversio.

Caput I. Animadversio ad 4. Notam: An Deus praescivit res, quia futurae sunt; An vero sint futurae, quia praescivit.

Caput 2. Animadversio ad 4. Notam de illa hypothese: Si Petrus, quem novit Deus assensurum in his, vel illis auxiliis, fuisset dissensus; id praescivisset Deus, & in genere praescivisset contrarium ejus rei, quam praescivit, si futurum fuisset.

Ad Notam X. Animadversio.

Pars 1. Capitis 1. hujus Animadversio, quod est de Justificatione.

2. Pars primi Capitis hujus Animadversio. Caput 2. Animadversio ad 10. Notam, quod est de perseverantia, distinctum in duas partes: in quarum prima Molinae sententia examinabitur; in secunda vero sententia communis Theologorum adstruetur. Pars 1.

De 1. parte hujus propositionis. De 2. & 3. parte hujus propositionis conjunctim; itemque de 4. & 8. quas simul conjungimus.

De 5. parte hujus propositionis, quam 4. constitutumus.

De 6. parte, quam 5. constitutumus. De 7. parte, quam fecimus, esse sextam, & ultimam.

Pars 2. hujus 2. Capitis, in qua communis sententia Theologorum de perseverantia adstruitur.

Ad Notam XI. Animadversio.

Caput 1. quo Gratiae, & liberi arbitrii comparantur in operibus justificationis, rationibus infirmatur.

Caput 2. hujus Animadversio, in quo comparantur Gratiae, & liberi arbitrii ab auctoritatibus infirmatur.

Ad Notam XII. & XIII. Animadversio.

Caput 1. seu Pars 1. primi Capitis de controversia ex concursu primae causae cum secunda.

Pars 2. hujus 1. Capitis, in qua probatur, causam secundam non agere, nisi motam a prima.

Pars 3. hujus primi capitis: quo genere motus prima causa causam secundam moveat.

Caput 2. quod est de concursu Gratiae, seu de ejus influxu in liberum arbitrium. Hujus Capitis 1. pars, quae considerat illum concursum in ratione causae agentis.

Pars 2. Capitis 2. hujus Animadversio, quae considerat Dei concursus in ratione causae finalis ad pia opera.

Ad Notam XIV. Animadversio.

Prima Pars 1. Capitis hujus Animadversio ad Notam 14. De faciente, quod in se est.

Pars 2. Capitis primi, de lege, quam dicit Molina constitutam a Christo cum Patre, dandi gratiam facienti, quod in se est.

Caput 2. Animadversio ad Notam 14. continens tres partes, 1. de Fide, 2. de Spe, 3. de Caritate. Pars prima de Fide.

Pars 2. Capitis 2. hujus Animadversio, quae est de Spe.

3. Pars 2. Capitis Animadversio ad 14. Notam, quae est de Caritate.

Ad XV. Notam Animadversio.

Caput 1. Animadversio ad Notam 15., quod est Penitentia.

Caput 2. Animadversio ad Notam 15., quod est de Attritione.

Caput 3. hujus Animadversio ad Notam 15., quod est de Contritione.

Serry Tom. II.

(1) *Ad Paragraphum 7. Praefationis Hist. de Auxiliis.*

Ad Notam XVI. Animadversio.

Caput 1. Animadversio ad Notam 16., in quo explicatur Molinae sententia circa ea, quae in Nota continentur.

Caput 2. hujus Animadversio, in quo rejicitur Molinae sententia de naturali facultate liberi arbitrii ad resistendum quibuscumque tentationibus.

BREVE COMPENDIUM

Doctrina P. Ludovici Molinae de Concordia liberi arbitrii cum Gratiae donis, viginti-quinque punctis explicatum, quae suis Notis designantur, secundum quas ordinantur Animadversiones. (1)

I. IN primis notandum, hunc Patrem fati indicare ad finem sui libri de Concordia &c., rationem illius Concordiae, a se traditam, esse novam, dum declarat membro ultimo §. *Longior sui*; Quae si tradita fuisset tempore Sancti Augustini, aut ab eo fuisset exposita, itum fuisset obviam haeresibus Pelagianorum, & Lutheranorum; nec tam multi ex Massiliensibus, aut ex Gallorum Episcopis ad haeresim defecissent: dum sub ea quasi caligine (ait in 1. part. S. Th. quest. 23. art. 4. & 5. disputat. 1. membro 6. §. *Quod ad Augustinum*) laboraret S. Augustinus.

II. Inde sumit pro fundamento suae opinionis, in 1. part. q. 14. art. 3. disp. 17. §. *Triplex*; praeter duplicem scientiam Dei, traditam a Scholasticis, nempe, praeter scientiam simplicis intelligentiae, quae est omnium rerum possibilem; & scientiam visionis, quae est rerum existentium in qualibet temporis differentia, aliam statuentem esse, quae quasi inter utramque inseratur, quam ideo Mediam appellat; dicitque, eam esse futurorum conditionalium; v. g. quae scivit Deus, (Matth. 11.) Tyrios, & Sidonios acturos fuisse penitentiam, si signa vidissent &c.

III. Eodem loco, & §. sequentibus, dicit, Deum altitudine intellectus cognoscere, quid quilibet (v. g. Petrus, & Judas) sit acturus, si in his, vel illis circumstantiis constituitur, idest, an sit consenturus, vel dissensus. Et ibidem §. *His ita*, ex praescientia, secundum hanc scientiam, vult, pendere illam concordiam cum donis gratiae, five aeternis, ut sunt Dei praescientia, voluntas, providentia, praedestinatio &c. five temporalibus, ut sunt vocatio, justificatio, perseverantia, & si quae ad illa reducuntur, ut gratiae collatio, &c. versio &c.

De his vero statuit Molina, ut sequitur.

IV. Praescientiam ex futuro hominis consensu, vel dissensu, secundum vires propriae voluntatis, metiendam esse, probare conatur ex illorum auctoritate, qui dicunt, non ideo res esse futuras, quia Deus praescivit; sed contra, Deum ideo eas praescire, qui futurae sunt, ut disputat loco supra dicto §. *Ex his*, & sequentibus; adjungitque, quod, si Petrus fuisset dissensus auxiliis, id Deus praescivisset; & uno nomine Deus praescivisset contrarium ejus rei, quam praescivit etiam ab aeterno, si illud futurum fuisset.

V. Quantum vero attinet ad Dei voluntatem; qu. 19. in 1. part. art. disp. 1. §. *Sciendum*; & disp. 2. §. *Altero membro*, admittit quidem voluntatem antecedentem, qua vult Deus, omnes ho-

V v 2 mines

mines falvos fieri; restringit tamen ad illam conditionem, Si ipsi velint; consequentem vero voluntatem, ratione eorum, qui salutem consecuturi sunt, penitus negat, sicut & omnium futurorum contingentium, sublata prædicta conditione. Immo nec aliam voluntatem, ratione salvandorum, videtur §. *Ex his*, & §. *Patet deinde*, & §. *Sciendum* 3. in 2. disp. admittit, nisi complacentiæ, qua Deus de illorum adepta salute delectatur, secundum desiderium, quod habuit per voluntatem antecedentem, cui complacentiæ subjicit absolutam Dei voluntatem.

VI. Quæstione vero 22. art. 1. disp. 2. §. *Porro*, & sequentibus, ex ipsa voluntate, sic explicata, metitur Dei providentiam, includens in ea illam voluntatem antecedentem conditionatam, qua vult quidem, omnes in finem dirigere, &c. & excludens ab ea (quantum ad finis consecutionem) voluntatem absolutam §. *Ad tertium*, & art. 4. §. *Illud etiam*: Fatetur enim, Dei providentiam non semper consequi suam finem, quem intendit; immo §. *Hinc etiam*, dicit, interfectiones a grassatoribus, suffocationes in aquis, & similia, quæ præter spem eveniunt, non esse a Divina providentia intenta.

VII. Et quoniam certum est, prædestinationem esse quamdam providentiæ Divinæ partem, ratione eorum, qui finem particularem vitæ æternæ consecuturi sunt, idem Molina in 1. part. quæstione 23. art. 4. & seq. disputatione 1. membro 13. §. *Hac ergo*, & aliis locis, definit illam ex ratione prædictæ scientiæ, & per consequens ex prævio consensu futuro prædestinati. Dicit enim, illum consensum, prævisum, esse causam, cui prædestinatio habeat rationem prædestinationis, & non amplius simplicis providentiæ: quod de reprobatione quoque intelligendum est.

VIII. Multa alia dicit Molina de illis externis donis, quæ facile præteriri possent, nisi quod, ad explicationem dogmatum illius sequentium, operæ pretium videtur istud adjungi debere ad ea, quæ de prædestinatione dicta sunt, Deum; (secundum illius sententiam in loco citato, & alibi etiam) præscivisse, quid Petrus sub his conditionibus, seu cum his auxiliis, quidve Judas esset acturus, sed tunc de utroque nihil adhuc desinivisse: cum autem ventum est, ut decerneret, decrevisse, dare Petro ea auxilia, quæ ad liberum ejus consensum eliciendum essent congrua, & ita eum prædestinasse: contra vero, cum videret, Judam negaturum suum consensum vocationi futuræ per ea auxilia, quæ ad ejus salutem essent sufficientia, decrevisse, ea sola illi præbere, & negare alia, quæ prævideret, illi sic esse congrua, ut per ea consensum præberet, quia essent contempta ejus voluntati, & ita eum reprobasse. Autoritates S. Augustini, quibus hanc suam conatur fuisse sententiam, postea preferunt. Nunc autem, quid deceat de temporalibus donis, examinandum est.

IX. Ex ipsismet locis, & præsertim ex Concordia, qu. 14. art. 3. disp. 9. pene integra, quid sentiat Molina de vocatione, primo prædestinationis effectu, facile est intelligere: docet enim, alios vocari a Deo per auxilia sufficientia, & non respondere; alios vero vocari per auxilia congrua, & respondere: respondere vero, vel non respondere, statuit, esse propriæ, & innatæ libertatis.

X. Eodem quoque modo de justificatione, & perseverantia philosophatur in Concordia, loco citato; quibus respondet ultimus effectus, qui est glorificatio. De justificatione vero tractat expresso disp. 44.

XI. Cum autem hi, & similes effectus, qui glo-

ricationem præcedunt, a duabus causis proficiantur, nempe a gratia, & libero arbitrio; (vocatione sumpta, quatenus est efficax) illæque causæ non se habeant uno, & eodem modo, cum necesse sit, unam esse primam; & alteram, secundam: hoc discrimen inter eas statuit a Molina, in Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 12. §. *Est tamen observandum*, quod gratia sit prima, major, sed partiali influxu; liberum vero arbitrium sit secunda, minore tamen influxu: atque utramque ita efficit partialem, ut utraque propriis viribus agat, sicut (ait in 1. part. qu. 23. art. 4. & seq. disputatione 1. membro 6. §. *Ad primum*) quando duo homines trahunt unam navem; & (ut ait in Concordia) quando duo agentia movent unum mobile.

XII. Ex his ibidem statuit, tria tantum esse necessaria ad bene agendum, concursus Dei generalem, gratiam excitantem, & voluntatis liberum arbitrium.

XIII. Ex quibus etiam eo loci ad 1. part. disp. 37., & alibi, refellit eos, qui statuunt, concursus Dei, sive generalem in rebus, quæ sunt ordinis naturæ, sive specialem in his, quæ sunt ordinis gratiæ, fieri ad ipsas causas secundas, cum secundum ejus opinionem ad solos earum effectus extendatur: disputat etiam contra illos, qui præter gratiam, qua excitantur, aliam adhuc requirunt, qua voluntas efficaciter moveatur: denique refutare eos conatur, qui consensum voluntatis posterioris gratiæ volunt esse effectum, quem docet ad solam ejus innatam libertatem (postquam excitata est) esse referendum.

XIV. Ut autem ejusdem arbitrii vires magis explicet in Concordia, disp. 7. 13. & 14. defendit, hominem, cum solo generali concursu Dei, sine alia speciali Dei motione, & auxilio, ex vi liberi arbitrii posse assensum fidei elicere, & credere omnia, quæ revelata sunt a Deo; posse item fidelem eodem modo habere actum spei, seu sperare omnia, quæ a Deo sunt promissa; posse denique habere actum dilectionis super omnia, cum proposito servandi in genere omnia præcepta Dei; ita tamen, ut hi actus, mere naturales, non sint facti, ut quis justificetur; sed necessaria sit gratia ad hoc, quod fiant, sicut oportet, idest, ut valere possint ad justificationem.

XV. Huc etiam pertinent, quæ disp. 14. quasi per totam, sed præcipue membro 1. & 4. docet, nimirum liberum arbitrium, cum solo generali Dei concursu, elicere posse non solum actum attritionis naturalem, idest, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum includat.

XVI. Huc quoque spectat, quod asserit ibidem disp. 19. probabile esse, nec contrarium ab Ecclesia esse definitum, immo dicit, se ita probare validis rationibus, ut ejus intellectus in oppositis non possit quiescere, liberum arbitrium, propriis viribus, sine speciali Dei auxilio, & cum solo ejus concursu generali, dum iudicium rationis non absorberetur, posse in quocumque temporis momento, cuicumque gravi tentationi non consentire, & superare quæcumque magnam difficultatem, quam, pro servanda lege naturali, necesse sit vincere, etiam si mors esset toleranda, ita ut, si consentiat, peccet.

XVII. Denique de connexionem utriusque causæ supradictæ, idest, gratiæ, & liberi arbitrii, disp. 10. §. 1. ita videtur, rem absolvere, quoties liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstare eum ad conandum torum, quod ex se potest, tam circa credenda, quam circa dolorem

rem de peccatis, ac justificationem, a Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliamque, quibus id faciat, ut oportet ad salutem, (hic etiam adjungit, Deum sæpe torpens excitare arbitrium) non quod eo conatu efficiatur dignus his auxiliis, sed quod Christus id promeruerit, quasi constituta cum Patre lege subveniendi ob ejus merita.

XVIII. Illam gratiam prævenientem (quæ secundum illum est altera pars bonæ operationis) ibidem, ac etiam disp. 37. sic agnoscit excitantem, & moventem hominis voluntatem, ut tamen nihil ei reale imprimat (ut loquitur quæst. 14. disp. 38. per totam) seu non agat in eam motione reali, sed tantum morali, utique per representationem objecti eam impellendo, movendo, suadendo, alliciendo &c. Hinc est, quod tam acriter invehitur contra eos, qui ponunt efficaciam gratiæ in motione physica, seu reali.

XIX. Asserit quippe in 1. part. qu. 23. art. 4. & 5. disput. 2. membro 5. §. *Postremo*, & in Concordia qu. 14. art. 13. disp. 38. §. *Hinc 5. loco*, gratiæ efficaciam ex solo nostri arbitrii consensu metiendam, in cujus potestate situm esse asserit, auxilium gratiæ reddere efficax, vel inefficax: efficax, quidem, assentiendo; inefficax autem (ita tamen, ut vere sit sufficientis) dissentiendo.

XX. Unde etiam asserit in Concordia, quæstione 14. art. . . . disp. 12. integra, provenire ex sola, innataque libertate arbitrii; quod, duobus stantibus in paribus auxiliis, unus ex eis convertatur, alter non: immo vero adjungit, plerumque evenire, unum ex duobus, cum pluribus auxiliis, damnari; alterum vero, cum paucioribus, salvari; idque ex solo libero arbitrio provenire.

XXI. Quod quidem ne nimis durum videatur, neve aliquid de efficacitate gratiæ detrahere videatur, Molinæ defensores sic eum interpretantur, ut illud auxilium efficax, quod sit tale per consensum voluntatis, sit magis sufficiente in ratione doni, non autem in ratione auxilii, sicut donum enis majus est in necessitate, quam extra necessitatem. Ita etiam Deus ei, qui præbet consensum, dat gratiam congruam in his circumstantiis, in quibus ex sua libertate consensurus est, non dat majus auxilium, nisi in ratione doni, eo quod illa gratia non habet in se vim majorem, quam ea, quæ alteri ex duobus, id est, non consentienti datur. Hoc autem tam Molina, quam defensores confirmant ex duobus locis Sancti Augustini, nempe ex l. r. ad Simplicianum, quæst. 2. & ex cap. 14. libri de Dono perseverantiæ. Verba primi loci sunt: „ Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit, ei congruere, ut vocantem non respuat. Item: Non est volentis, neque currentis, sed miserantis Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Verba vero secundæ loci sunt: Quosdam habere naturaliter in ipso ingenio Divinum manus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.“

XXII. Denique hanc gratiam, ita factam efficacem ex proprio hominis consensu, fatetur in Concordia quæst. 24. art. 13. disp. 38., esse cooperantem ex eo, quod illa, & liberum arbitrium, tanquam duæ causæ partiales, (ut dictum est) producant justificationem, & opera meritoria, quæ ab illa promanant.

XXIII. Neque enim agnoscit disp. 35. §. *Advertendum tamen est*, hominem justificatum, & per justificationem habentem virtutes fidei, spei, & caritatis

ritatis infusas, egere novo auxilio intrinseco ad bene, meritorieque operandum, aut etiam ad perseverandum; quamvis Deus ei conferat aliqua auxilia externa, quibus a periculis mundi, ac demonum per quamdam particularem manutentionem eruat.

XXIV. Insuper notandum est, Molinæ defensores sic interpretari illius sententiam de gratiæ efficaciam, ut primo constituent illam efficaciam in illa motione præveniente, quæ, cum sit intrinseca, non differt tamen a gratia sufficiente, nisi quod congrua est, & contempta voluntati, & quod habet infallibilem consensum voluntatis. Secundo constituent illam efficaciam in gratia cooperante, propter effectum, qui ab ea (ut tamen a causa partiali) elicitur.

XXV. Illam vero consensum infallibilitatem, negant, profluere ex aliqua vi, quæ infit gratiæ, sed eam solum inferunt ex præscientia per scientiam mediam.

EXAMEN.

Doctrinæ P. Ludovici Molinæ de Concordia liberi arbitrii cum Gratia donis, cujus Compendium superius proponitur, distinctum in tot Animadversiones, quæ sunt Note Capitulorum dicti Compendii.

Ad 1. Notam, Animadversio.

DUO quidem vocabula satis aperiunt, Molinam non de sola explicatione suæ sententiæ, quam non semel fatetur se desiderasse in antiquis Patribus, sed de nova illius a se facta inventione hanc tradidisse liberi arbitrii cum donis Gratia Concordiam, dum §. *Nos pro nostra*, dicit: *Quæ si data, explanataque semper fuissent*; & §. *Longior*, loquitur aperte: *Hec nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum Divina prædestinatione a nomine, quem viderim, huc usque tradita*. Duæ autem istæ voces, *Data*, & *Tradita*, satis ostendunt id, quod diximus; multo vero magis particula, *nostra*, sed de hac dicemus ad 3. Notam. Porro duo etiam sunt, quæ jure videntur in hac Nota reprehensibilia. Primum est discessus a communi Patrum sententia, qui de hac concordia scripserunt. Secundum est, paucæ reverentia, quam demonstrat versus Sanctum Augustinum, & ejus doctrinam: ita ut non desint, qui primum temeritati, secundum inverecundiam adscribant: id quod nollem ei impingere, sed de utroque dicendum duobus capitibus; ita tamen, ut hæc Animadversio, quia non est dogmatica, sit futura multo brevior sequentibus.

CAPUT I.

De discessione a Patrum sententia.

IN rebus fidei discessionem a Patrum sententia, & introductionem novitatis, ut quis proprium suum inventum obrudat, suspectam esse, & periculosam, ita compertum est, ut non egeat probatione. Nihilominus id clarius futurum, existimo, si illud & exemplo Sancti Basilii, & doctrina Vincentii Lirinensis illustravero. Magnus ergo Basilii Ep. 62. tam tenax fuit antiquitatis, ut encornii, quod descripsit in laudem Musonii, præcipuum caput exponens, ita loqueretur: „ Nihil de suo, nihil, quod novæ alicujus cogitationis inventum resipere, in medium adduxit; sed, juxta benedictionem Moysi, ex ipsis arcanis cordis, ac bonis thesauris vetera veterum, & quæ ante

CAPUT II.

De pauca reverentia, quam exhibet Molina Sancto Augustino in hac doctrina.

ante faciem juniorum vetera essent, proferre novit. "Is, inquam, Basilus magnus, cum orans apud populum, utroque sequenti modo glorificationem absolvisset Deo, & Patri, interdum cum Filio ipsius, & Spiritu Sancto, interdum per Filium in Spiritu Sancto, & aliqui dicerent, illum novis usum esse vocibus, ut refert scribens ad Amphiloichium c. 1. Epist. 73. (alibi etiam dicit c. 29. Traducunt nos, quasi insolens, & novum quiddam de Spiritu Sancto doceamus) tantum abest, ut de novitate gloriam captaverit, quin potius ab ea se quam alienum esse protestatus est, sic eundem alloquens Amphiloichium cap. 29. Veneranda sunt antiqua dogmata, que ob antiquitatem, & canitatem quandam, habeant quiddam reverendum. Unde etiam id, quod dixerat, confirmat Antiquorum auctoribus, citans Clementem Romanum, & Alexandrinum, Irenæum, Dionysium Alexandrinum, Africanum, Athenogenem, Gregorium Thaumaturgum, Firmilianum, & Meletium Pontificem.

Quod autem attinet ad Vincentium Lirinensem, cum pene totus sit in utroque Commonitorio; scribens adversus profanas hæresum novationes, in alegandis a rebus fidei novitatibus, & adstruenda antiquitate, satis esse videbitur, hoc loco citare, que ex Summis Pontificibus ad hujus rei confirmationem profert.

Primum igitur cap. 9. in 1. Commonitorio, ex B. Papa Sixto, in Epist. ad Africanos, profert id, quod ad everfionem Anabaptismi, conclamati in Concilio Carthaginiensi, post tempora Agrippini illius auctoris, definierat Sixtus: Nil novandum, nisi quod traditum (subaudi) recipiatur. Id enim, inquit Vincentius, proprium est Christiane modestie, & gravitatis, non sua potestis tradere, sed a Majoribus accepta servare. Deinde in 2. Commonit. cap. 3. auctoritati Sixti conjungit B. Cælestini sententiam, qui ita alloquitur Gallorum Episcopos: Desinat itaque, (si ita res est, ut ad me perlaturum est) videlicet incesse novitas vestustatem. Verba, que Vincentius subjicit verbis Sixti, videntur directe ferre Molinam, sicut verba Cælestini, qui de rebus controversis, de quibus nunc agitur, definiebat, illius doctrinam (ut apparet) jugulant.

Non sum necius, aliquos uti, ad Molinæ defensionem, eodem Vincentio Lirinensi, Commonit. 1. cap. 27. concedente, aliqua nove dici in rebus fidei. Veruntamen satis se explicat Auctor, dum ita loquitur: Eadem tamen, que didicisti, ita doce, ut, cum dicas nove, non dicas nova; seque magis aperit in sequentibus, dum dicit cap. 28. Crescat quidem intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Et cap. 32. rem, quibusdam interpretis, sic illustrat, ut fateatur, Ecclesiam in decretis Conciliorum, que a Majoribus sola traditione accepta, posteris per Scripturæ chirographum consignare, plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum, novæ appellationis proprietatem signando. Unde qui Molinæ facerent negotium de solis vocibus, non ulitatis hæcenus, sicut est appellatio Scientia-media, videretur operam perdere, nisi doceret, res, quibus explicandis adhibentur, ab illo alio sensu intelligi, & ex consequenti ab illo nova, contra vetustatem, secundum diversum dogma, proponi. Hoc autem facile constabit ab sequentibus, & ex ratione discessio- nis a Sancto Augustino hæc evadit.

Locus, qui citatur ex Concordia, paulo prolixior est: Neque, inquit Molina, ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tor fideles fuissent turbati, ad Pelagianisque desecissent. . . . Concertationesque (ait, paucis interje- ctis) inter Catholicos facile fuissent compositæ. Ubi, cum vocat opinionem D. Aug., quam debuisset potius vocare sententiam, nisi stabilire volens suum iudicium pro Catholica sententia, iudicium tanti Sancti noluisse recipi pro sola opinione. Mon- strat præterea, se in sequenti loco, quem nunc citabimus, agere perperam, dum nixit, hunc Sanctum ad suam opinionem traducere, confessus nunc libenter, Sanctum Augustinum sic opinatum, ita ut hæc, que citat, incommodè inde secuta sint. Alio- rum etiam relinquo iudicio, si concertationes illæ dicendæ sint fuisse inter Catholicos simpliciter, que ex occasione Scripturam Sancti Augustini emerferunt inter Catholicos, & Semipelagianos.

Sed jam agamus de loco, citato ex Coment. in 1. part. in quo sic scribit: Interim vero, dum, sub ea quasi caligine, ad hoc non attendit S. Augustinus, (nempe, prædestinationem, & reproba- tionem non fuisse sine præscientia qualitatis usus liberi arbitrii, habitaque consideratione illius) arbitrii, cum sua de prædestinatione sententia esse conjunctum, Deum velle solos prædestinatos salvos fieri &c. Profecto mirum mihi est, repertos fuisse aliquos, qui, ut Molinam excusarent, rejecerunt eam caliginem, a Molina Sancto Augustino attributam, ad alios illius sæculi Theologos, cum hæc vocabula, non attendit, & arbitrii esse conjunctum &c. alio, quam ad illius personam, vel doctrinam applicari nequeant; sequiturque inde, Molinam fateri, se clara luce suæ doctrinæ sic hanc materiam illustrare, ut opinionis S. Augustini caliginem expellat.

Cæterum, postquam sententiam Sanctorum Thoma, & Augustini veravim; & reversavim, sentiens, se non nisi vi tantorum auctores sibi facere posse propitios; tandem §. Ex his patet, in hæc verba prorupit: Immo vero, esto hi duo Patres in eam sententiam inclinasset, salva reverentia, que illis debetur maxima, quoad illud secundum non esset admittenda.

O quantum Sancti Prosperi Aquitani iudicium de Sancto Augustino a verbis Molinæ est disten- dens, dum, post citatam Sancti Cælestini com- mendationem illius (quam statim subjiciemus) exclamat: Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii di- gnitatem, audet quisquam, malignæ interpreta- tionis murmur emittere, & perspicua, sinceris- simæque sententiæ nubem oblique ambiguitatis obtendere? quod licet applicet ad se, contra eos, qui ab approbatione B. Cælestini eximebant libros Sancti Augustini de prædestinatione Sancto- rum, & de dono perseverantiæ; intelligit tamen, extendi etiam ad alios: unde in sine Epistolæ ad Rufinum: Tu autem, dilectissime, & veneran- disseme mi frater, si vere de his questionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis B. Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confidenda Dei gratia defecatissimam, ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris. Sed & in Epist. quam ad eundem Augustinum scripsit, cum illum merito ita salutasset:

De-

Domino, Beatissimo Papa, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando &c. reddens rationem, cur ad illum scribat, nempe, se id facere studio fidei, adiungit: Excubante enim, pro univer- sis, membris corporis Christi, vigilantissima in- dustria tua, & adversus hæreticorum doctrina- rum insidias veritatis virtute pugnante &c. Jam vero audiamus ipsum Cælestinum, cum magna commendatione de Sancto Augustino, & ejus do- ctrina loquentem, dum scribit ad Venerium, & alios quoque, quos nominat, nec non ad cæte- ros Gallos Episcopos: Augustinum, (ait cap. 2.) sanctæ recordationis Virum, pro vita sua, atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc finitæ opinionis rumor asperit: quem tantæ scientiæ olim fuisse, meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper Decefforibus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi fenserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuit, & honori.

Hic, præter id, de quo agimus, nempe Sanctos cum multo majore reverentia de Sancto Augustino locutos fuisse, quam Molinam, duo sunt, que bene notanda esse, credimus. Unum, illudque præcipuum, quod ad sententiam suorum Decefforum ad- iungit suæ quoque probationis calculum, per Prædeceffores intelligens Innocentium, Zozimum, & Bonifacium, sicut etiam S. Prosper testatur ad finem libri contra Collatorem, dum expectat etiam Sixti Successoris ejusdem Cælestini, sententiam, quam tulit postea, sub cuius Pontificatu dictum librum scribebat: ut ex eo constet, eum, quia a D. Augustino doctrina discedit, simul etiam a Sanctæ Sedis determinationibus secedere.

Alterum est, quod non contentus fuit Cælesti- nus, Sanctum Augustinum ex Antecessorum sententia collocasse inter Magistros optimos, nisi etiam annumeraret inter suos, dum cap. 3. suæ Epistolæ ita loquitur: Quia nonnulli, qui catholi- co nomine gloriantur, in damnatis autem hæ- reticorum sensibus, sive peravitatis, sive imperitia, demorantes, piissimis Disputatoribus ob- viare præsumunt, & cum Pelagium, & Cœ- stium anathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessariam modum ex- cesserint, obloquuntur &c. Unde constat, illud dictum, Magistris nostris, non referri ad Sum- mos Pontifices, Innocentium, & Zozimum, quo- rum definitionibus utitur sequentibus Capitulis, sed præferri ad Sanctum Augustinum, quem norunt omnes piissimum Disputatorem contra Pelagianos: atque ex hujus loci principio constat, B. Cælesti- num Semipelagianos, qui facebant negotium Doctrinæ Sancti Augustini, vix habere pro Catho- licis, licet eo nomine gloriarentur; cum tamen Molina eos appellet Catholicos, sicut antea notavimus.

Porro certum est, in 2. Concilio Arausicano, quod nonnulli asserunt sub Leone Magno, alii probabilius affirmant anno 3. Hilarii ejus successoris, celebratum fuisse, scilicet anno Christi 463. actum esse contra Semipelagianos, ex occasione Fausti Rhegenensis Episcopi, illorum hæresim renovantis, conclusum fuisse, promulgari decreta, que olim a Romano Pontifice ad Galliarum Episcopos trans- missa fuerant, que quidem ex libris S. Augustini transcripta, a Leone Magno approbata, & de- finita sunt, conformiter (ut par est credere) ad illa XIII. decreta Cælestini, que transmissa fuerant ad prædictos Gallie Episcopos. Gelasius autem, scribens ad Honorium Ep. 4., admonet eum, ne iterum Pelagiana hæresis, quam S. Augustinus contriverat, pullulet, quam Epistola

præcedente dixerat, ab Apostolica Sede, per bea- tæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cælestinum, Sixtum, Leonem, continuis, & incessabilibus sententiis fuisse prostra- tam. Unde non mirum, si is Summus Pontifex, ut est in C. Sancta Romana Ecclesia, Distinct. 15., approbans Opuscula Sanctorum Augustini, Prosperi, & Hilarii, rejecerit Opuscula Cælesti- ni, & Fausti Rhegenensis Episcopi. Nec prære- reundus est in hoc quasi catalogo Horfimidus Sum- mus Pontifex, cujus Epistola, que tomo 1. Episto- larum Summorum Pontificum est LXXVIII. in tomo vero II. Conciliorum recentioris editionis est LXX. sic concluditur: De Arbitrio vero libero, & Gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur, & asseveret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maxime, qui sunt ad Hilarium, & Prosperum, possit cogno- sci; tamen in Scripiis Ecclesiasticis expressa Ca- pitula continentur, que si tibi defuit, & ne- cessaria creditis (alloquitur Professore Episco- pum, ad quem scribit) destinabimus; quamquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quod sequi debeat, evidenter cognoscit, Ex quibus omnibus, & aliis, que, qui scribant de hac re, proferunt in medium, satis evidens est, neminem a sen- tentia S. Augustini posse discedere, qui non simul discedat ab Ecclesiæ totius consensu, tot, tan- torumque Pontificum decretis confirmato.

Hinc est, quod Augustæ memoriæ Papa CLE- MENS VIII. in prima Congregatione ex his, quas in præsentia sua voluit haberi, (illa porro Con- gregatio appellatur De Auxilio, initiumque ha- buerat circa initium mensis Januarii 1598.) con- vocatis coram se Consultoribus, ac etiam Gene- ralibus, tam Societatis Jesu, quam Ordinis Do- minicanorum, assistentibus, cum illis, iis, qui- bus onus disputandi commiserat, 20. die mensis Martii 1602., qui erat dies Mercurii quarta heb- domadæ quadragesimæ, in hæc sententiam perora- vit: Quamvis nemini, nisi Deo, rationem red- dere debeat mearum actionum; dicam tamen im- præsentiarum, quare sim resolutus ad adstringen- dam totam hæc disputationem ad normam do- ctrinæ Sancti Augustini de Gratia. Deinceps tres rationes hujus suæ resolutionis proposui. Prima fuit, quod, si teste B. Prospero, fere initio libri contra Collatorem, 20. annorum spatio acies Ecclesiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagia- nos, ut tandem, Augustino Duce, vicerit; æquum esse, ut in causa simili eundem Ducem sequamur. Secunda est, quod idem Sanctus nihil videtur prætermisisse eorum, que ad præsentem controver- sias pertinent; quandoquidem si agitur de necessitate gratiæ, eam describit, dicens, esse necess., ut nos præveniat, comitetur, & sequatur; si de vi, asserit, vires efficacissimas præbere voluntari; si de effectu, testatur facere de nolente volentem; si de modo, asserit, Deum id facere omnipotentissi- ma facilitate; denique sic dissolvit objectiones, ut doceat, liberum arbitrium non tantum bene cum illa gratia, quam defendit, coherere, sed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum. Ha- bebatur autem locus, propria industria ex B. Augustino excerptos, quos admodum apposite ad sin- gula, que dicta sunt, confirmanda, recitabat. Tertia vero ratio fuit, quod, cum multi Pontifices, sui prædeceffores, Doctrinæ Sancti Augustini de Gratia tam acres fuerint assertores, & vindices, ut quasi hereditario jure eam voluerint in Ecclesia relinqui, non esse æquum, ut patiar, illam hac quasi hereditate privari: seque id nun- quam passurum, resolute asseveravit. Et ita man- sit fixus in hæc resolutione, ut, cum sequentes dis- putationes voluerit fieri more Rotali (in illo enim